

nis genus esse: quorum alterum, quia quasi a compositis adscendit ad simplicia, h. e. enunciationis demonstratione stabilienda, eiusque approbationum eo usque rationes reddere pergit, donec approbatio requiri nulla amplius possit, Graeco vocabulo *Analyticum* dicitur: alterum vero, quod a simplicibus ad composita descendit, h. e. ab enunciationibus, nulla demonstratione egentibus, progreditur ad eas, quae demonstrationem desiderant, et ex antecedentibus intelliguntur, *Syntheticum* appellatur.

33. Vtrumque hoc demonstrationis genus etiam *Directum* dicitur, quo quippe ex ipsis rerum definitionibus, et aliis, quae axiomatum numero ac loco sunt, enunciationibus, quid verum falsum sit, ostenditur. Est vero etiam, quam *Indirectam* dicunt, demonstratio, cuius hi vim et naturam minime intelligunt, qui in hoc positam esse putant, ut ex falso veritas eliciatur, eamque solis mathematicis relinquendam esse. Neque enim ex eo, quod falsum est, vlla ratione effici, quod verum sit, potest. Sed haec est huius demonstrationis ratio, ut contrarium eius, cuius demonstratio suscipitur, verum singatur esse, et ex eo doceatur consequi, quod vero repugnet. Neque difficile est, intelligere, hoc demonstrationis genus omnem vim suam, ac robur omne, ex primo illo omnis veritatis fundamento repetere, quod negat, idem verum et falsum esse posse §. 3.

34. Atque ut eo facilius perspicuas horum demonstrandi generum notiones informare animis tirones possent, cuiuslibet exemplum subiicere placuit.

Anguli